(c. Quam sit. de Elect. in 6.) Cupientes itaque ut non solum studentes, sed etiam docentes universi juris habeant notitiam, statuimus quatenus nunc et in futurum licitum sit Professoribus retento Beneficio, cui annexa est aliqua Professio et fructibus ex illo provenientibus retentis, solam Lectionem et ejus traditionem [cum Beneficium sit cum Canonica institutione adeoque incommutabile, sed perpetuum et non ad tempus (c. un. junct. gloss. v. Perpetui. de Capell. Momonach.) et ex mutatione Rectorum Beneficij magnum Ecclesia (jux. Decis. Rot. 24. n. 1. ante fin. de Praeben. in nov.) reciperet detrimentum] inter se commutare idque non obstantibus statutis superius de unaquaque Professione ac ei annexa Lectione descriptis. Jura enim et statuta, nesessitate, vel utilitate exigente, interdum variare licet. (c. Non debet. de Consangvinit. et affinit.)

STATUTUM XXVIII.

De Professore substituendo vel non.

Quamvis Doctor, vel alius quivis Professor vicaria opera uti, et per substitutum legere non possit. (arg. gloss. l. 1. v. Usurpantes. C. de Mancip. et Bart. in l. Nemo est, qui nesciat n. 5. ff. de duob. reis.) cum ad munus suum debite peragendum industria ejus electa esse censeatur. (c. fin. §. Is autem. de Offic. Delegat. et Modit. Dubit. 10. §. Prudentum responsa.) tamen eundem inhaerendo Consvetudini non solum in Nostra Universitate, sed etiam in alijs Universitatibus et Scholis receptae ac sumpto Argumento (ex c. Si pro debilitate de Offic. Delegat.) ob debilitatem virium, veram infirmitatem, vel aliam causam propriam, aut Universitatis sive cujuspiam insignis viri, non tamen ad longum tempus, Doctorem et Professorem sufficientis eruditionis, bonae apud omnes commendationis et aestimationis posse habere substitutum decernit. (Jason in l. 1. n. 79. ff. de Offic. ejus, cui mandat. est jurisdict.) quemadmodum et illum, qui per viginti annos continuos in ante legerit. (Idem Jason. in d. l. 1. n. 1. ff. e. t.) Qui enim per alium facit per se facere videtur. (c. Qui facit per alium. de Reg. Jur. in 6. et l. Quod jussu ff. e. t.)